


V 9
1278

QK. 197,35.

Vg
1278

HAS PRO-
POSITIONES DEFENDET
NICOLAUS AMSDOR-
FIVS MAGDEBVR-
ge quando uoluerint
aduersarij.





HAS PROPOSITIONES, DE-
FENDET NICOLAUS AMS-
DORFIUS MAGDEBURGAE
QVANDO VOLVERINT
ADVERSARI.

- 1 **N**ihil efficacius, aut usitatus in ore habent
qui contra Lutheri doctrinam, sunt opti-
mi & doctissimi.
- 2 Ecclesiam esse audiendam, & ab illius determina-
tionibus non esse recedendum.
- 3 Etiam si non assequatur quod docet, ordinat, de-
terminat & precipit.
- 4 Melius est & securius inquirunt, captiuare intel-
lectum nostrum, quam huiusmodi determinati-
onibus ecclesiae resistere.
- 5 Recta sententia, & uera Christo affirmante, qui
ecclesiam non audit, sit tibi ethnicus & publicanus.
- 6 Christi siquidem ecclesia est audienda, & illius
determinationibus standum, nec contra illam
quicquam moliendum.
- 7 Modo uideamus, quae sit ecclesia Christi, ne erre-
mus & decipiamur.
- 8 Nam & Graeci clamant, suam ecclesiam, esse
Christi ecclesiam.
- 9 Quemadmodum Romani de sua gloriantur eccle-
sia, quod sit Christi ecclesia.

- 10 Neq; Græcis, neq; Romanis est credendum quia
utriq; suis decretis, non uerbo dei innituntur.
- 11 Orientalis ecclesia quæ senior & maior est Ro-
mana ecclesia, non unum uerbum habet, quod so-
la sit ecclesia Christi.
- 12 Sic nec Romana ecclesia probare potest, uel uno
uerbo, quod ipsa sola sit ecclesia Christi.
- 13 Si alicui credendū esset, multo magis Græcæ, quā
Romane credendum esset.
- 41 Nam Græca senior est, & maior, & prior habu-
it Petrum apostolum quam Roma.
- 17 Non ergo à multitudine, usu, & consuetudine
probari potest, Romanā curiā esse ecclesiā Christi
- 16 Si uetustas & multitudo aliquid ad rem facerent,
Græca esset uera Christi ecclesia non Romana.
- 17 Adeoq; eius decretis magis quam Romane eccle-
siæ credendum.
- 18 Taceant itaq; omnes qui multitudinem populo-
rum, & uetustatem temporis, contra Lutherum
producunt & allegant.
- 19 In obsequium Papæ, aut curiæ Romane, non est
captiuandus intellectus humanus, sed in obsequi-
um Christi & sui uerbi.
- 20 Adeoq; in obsequium ecclesiæ Christi, quid illa
dixerit, statuerit, ordinauerit & determinauerit.
- 21 Ecclesiam autem Christi dicimus, quæ sine uerbo
Christi nihil ordinat & præcipit.

Hæc est

- 22 Hec est sponsa Christi, quæ uerbum eius audit,
credit & operatur.
- 23 Hæ sunt oues Christi, q̄ audiūt uocē pastoris sui.
- 24 Qui uero alienorum nocem, quantumuis sancto-
rum doctorum & seniorum audiunt, sunt hirci.
non oues Christi.
- 25 Etiam si sanctimonia & miraculis fulgeant.
- 26 Ecclesia Christi est, quæ uerbum eius habet, do-
cet, & prædicat, ac eius instituta seruat.
- 27 Quæ aliud uerbum à Christi uerbo docet, prædi-
cat, aut alia instituta seruat, Christi ecclesia esse
non potest neq; debet.
- 28 Quia Christi ecclesia aliud docere, ordinare, insti-
tuere & præcipere neq; potest neq; debet, quam
quod Christus docuit, instituit et præcepit.
- 29 Qui ergo aliud docent & præcipiunt quam Chri-
sti uerbum & institutum, illi cum suis decretis et
statutis sunt contemnendi & reijciendi.
- 30 Et quia Papa cum suo clero præter uerbum Chri-
sti & eius instituta, omnia docet, ordinat & præ-
cipit, ideo & contemnendus & reijciendus nullo
modo audiendus.
- 31 Quia non est neq; esse potest Christi minister aut
apostolus.
- 32 Multo minus eius uicarius, ut gloriose iactat
Traso superbissimus.
- 33 Idem faciunt Concilia & patres Romane eccle-

A iij sic

sic, ideo Christi ecclesia non sunt neq; esse possunt.

34 Quia Christi uerbum & instituta mutant, alterant & tollunt.

35 Et Quod omnium maximum est, contrarium docent & præcipiunt.

36 Facti magistri & moderatores Christi, quasi illo sapientiores & prudentiores, scirent quid salubrius, & utilius populo esset.

37 Quod solius est Sathane & Synagoge eius nequaquam uicarij Christi & ecclesie eius.

38 Concludimus itaq;, Papam, Concilia, & Patres esse Synagogam Satane non ecclesiam Christi.

39 Ideoq; non audiendi, sed fugiendi sunt ac contemnendi, cum omnibus suis legibus & decretis.

40 Quod si iactant esse audiendos patres & concilia, Cur non audiunt primos patres, & prima concilia?

41 Illa enim secundum Christi uerbum, decreuerunt, statuerunt, & ordinauerunt omnia.

42 Nihil autem secundum suam uoluntatem, & bonam intentionem.

43 Pater omnium pater est Christus, discipuli eius principes sunt, & patres ecclesie Christi.

44 Hos certe audire oportet, si audiendi sunt patres & concilia.

45 Nam hos iussit audire Christus, Qui uos audit me audit.

Hos

- 46 Hos scilicet qui uerbum & instituta Christi præ
47 Non hos, qui sua inuenta prædicant, (dicant
quantumuis sancta & optima.
48 Nemo unquam probauit, Romanam Curiam esse
ecclesiam Christi neq; probari potest.
49 Quia Romana Curia sua, non Christi instituta,
prædicat & docet.
50 Ideo Romana Curia, minime est audienda, nec ma
gis quam ecclesia Græca.
51 Qui ecclesiam Romanam audit, & stat ab illius
decretis, facit illam Christo maiorem.
52 Et extollit illam super Christum, adeoq; hominẽ
supra deum sicut Paulus prophetauit.
53 Imo ipsa Romana ecclesia se ipsam extollit sus
pra Christum.
54 Quia uult ut ipsam audiamus magis, quam Chri
stum & suos apostolos, iuxta Pauli prophetiam
de illa.
55 Nemo unquam apostolorum, uel angelorum opta
uit, ut magis audiretur quam Christus.
56 Solus homo Papa & Satan, hoc præsumpsit ut
sua decreta exactius & diligentius serua ren
tur quam Christi instituta.
57 Quod uel unum illud, de matrimonio præceptum
& cibus prohibitis indicat.
58 Hæretici damnauerunt cibos, & nuptias, Papa
non damnat.

A iiij Sed

- 59 Sed clericis prohibet sub specie pietatis loquens mendacium in hypocrisi.
- 60 Heretici non habent speciem pietatis, nec loquuntur mendacium in hypocrisi.
- 61 Quia dei creaturam & institutum tanquam rem malam, nempe matrimonium & cibos damnant.
- 62 Papa habet speciem pietatis & loquitur mendacium in hypocrisi, quia usum matrimonij suo clero prohibet.
- 63 Et hoc propter sacramentorum tractationem, ut melius deo seruire possint.
- 64 Quasi in matrimonio Deus recte coli non posset.
- 65 Hæc est species pietatis & mendacium in hypocrisi, de quo Paulus loquitur.
- 66 Nemo Antichristorum singulis matrimonium prohibebit.
- 67 Nam id non esset mendacium in hypocrisi neque species pietatis.
- 68 Monachis uero et sacerdotibus, propter uota prohibuit, quod habet speciem pietatis, & est uerum mendacium in hypocrisi.
- 69 Sic & cibum in sacro tempore pro gloria christi prohibuit, alias nec cibum nec matrimonium damnans.
- 70 Aliud est, ieiunium instituere, & cibum prohibere, illud quidem potest ecclesia Christi, sed sub conditione, hoc uero minime cum sit opus demoniorum diuo Paulo teste. A iij Et quia

- 71 Et quia utramq; sacramenti speciē instituit Chri-
stus, Ideo ecclesia eius unam speciem neq; institue-
re potuit neq; debuit.
- 72 Sic de singulis, quæ Romana curia cum suis pa-
tribus & concilijs, absq; uerbo & mandato Dei,
ex propria deuotione, & bona intentione institu-
it, est iudicandum.
- 73 Nam bona intentio, non est ratio, cur aliquis sit
audiendus, multo minus sanctitas uitæ uel miracu-
lorum operatio.
- 74 Neq; doctrine uel igenij excellentia, est tãti pon-
deris, ut propter illam homo sit audie ndus.
- 75 Nam hæc omnia fallūt & decipiunt, nec in tenta-
tione cōscientiã reddere possunt paratã et securã.
- 76 Imo hæc omnia quanto maiora & præciosa,
tanto periculosa Christiano populo.
- 77 Quid enim magis miseram plebem decipere pos-
test, quam miracula et sanctimonia uitæ?
- 78 Et horū oīm maxime eruditio et igenij excellētia.
- 79 Hæc enim non tantum plebi, sed eruditis ipsis, &
mundi sapientibus imponit.
- 80 Solus itaq; Christus est audiendus, de quo dictum
est, Hic est filius meus dilectus.
- 81 Huius uerbum tantum, est audiendum quoniam
non fallit nec decepit.
- 82 Qui aliud docet quam Christi uerbum, non est
audiendus, etiam si sit angelus de cælo.

A V Qui uero

- 83 Qui uero uerbum dei nobis reuelatum docet, est audiendus, etiam si sit satanas.
- 84 Modo sit missus, & non à se ipso ueniat, ut pseudo apostoli.
- 85 Qui missus non est, hic non est audiendus, etiam si Christi uerbum prædicet & doceat.
- 86 Missus autem est, qui propria autoritate, ad ministerium uerbi se non ingerit.
- 87 Sed qui uocatus est, siue de cælo à deo, siue ab homine hic in terra.
- 88 Qui iactat uocationem de cælo, illam signis probet, alioqui non audiatur.
- 89 Signa autem debent esse pro uerbo reuelato, non contra illud.
- 90 Si itaq; contra uerbum reuelatum, signa faceret & prodigia, nullo modo admittatur.
- 91 Quia missus est talis à Deo, ut fidem nostram tentet & probet, non ut audiatur.
- 92 Cum dicimus ministrū debere uocari ab homine, nō putamus plebem, quæ omnia sine iudicio facit.
- 93 Hæc enim non potest, neq; debet, eligere uerbi ministrum.
- 94 Sed Christi fideles, qui de omnibus recte sentiunt & iudicant.
- 95 Ipsi autem à nemine iudicari possunt, Diuo Paulo teste.
- 96 Nec illi tantū debent, sed Titus cū illorū cōsensu,
&

est
est presbyteros, & episcopos, institucere & ordi-
nare.

- 97 Proinde pessime faciunt plebs & populus, quod sibi ius uocandi uindicant excluso suo, uel uicino pastore.
- 98 Ingratissimi sunt plebs & populus, quod uolunt domini esse supra ministros uerbi.
- 99 Cum olim quum serui essent officialium, ad istorum mandatum omnino contremiscerent.
- 100 Et nunc cum a tyrannide Papæ & episcoporum per uerbum sint liberati, uolunt & liberi esse secundum carnem, ut faciant quicquid uelint.
- 101 Nec ipso Christo aut eius uerbo, quod illos liberauit, obedire uolunt.
- 102 Neq; a Christo, aut eius ministris corrigi uolunt, etiam si sint pessimi.
- 103 Sciant itaq; illi, se bis septies esse peiores monachis & sacrificulis.
- 104 Qui episcopis, aut illorum officialibus, in re sacra obediunt, neq; sunt, neq; esse possunt Christiani.
- 105 Christianis uere Christi fidelibus necesse est ut episcopos cõtemnant.
- 106 Quia certum est episcopos, quales nunc sunt, esse lupos, fures, & latrones.
- 107 A lupis, furibus, & latronibus omnino est cauendum.
- 108 Qui autem cauendi sunt, necessario contemnuntur & reijciuntur. Nob

- 109 Non quo ad potestatem quam habent in temporalibus.
- 110 Ibi enim sunt audiendi, & ibi est obediendum, non autem, nisi in licitis & honestis.
- 111 An autem hanc potestatem recte possideant, alij dijudicent.
- 112 Nos interim sic sentimus, episcopos non debere uti temporali dominio iuxta uerbum Christi, Reges gentium dominantur, uos non sic.
- 113 Propria uero habere possunt & illis ad suorum & pauperum necessitatem uti.
- 114 Nihil enim pestilentius in dei ecclesiam irrepserit, quam quod episcopi facti sunt principes.
- 115 Et si dominium temporale a Cesare & regibus habeant episcopi & Papa, tamen non sunt excusati quia dictum est eis, Reges gentium dominantur, uos non sic.
- 116 Nihil autem ad nos, ipsi uideant quid sint, agant, aut faciant.
- 117 Nos interim decet in licitis & honestis illis obedire modo conscientiam nostram liberam sinant.
- 118 Si Concilium per impossibile indiceretur, non esse primo tractandum de reformatione morum.
- 119 Sed omnium primum de reformatione doctrine.
- 120 Quid ad nos, si etiam sanctissimi uiuerent episcopi aut in ordinem & paupertatem apostolorum redigerentur cardinales?

Multum

- 121 Multum autem ad nos si recte doceatur in ecclesia Christi.
- 122 Nobis nihil obest illorum uita quantumuis pessima, quilibet enim suo domino stat aut cadit.
- 123 Neque nobis prodest illorum sanctitas quantumuis magna.
- 124 officium autem illorum et ministerium atque doctrina nobis multum obest aut prodest.
- 125 Nihil salubrius si recte doceant, nihil peius si minus.
- 126 Ibi igitur uigilandum est ut doctrina, officium, et ministerium illorum reformetur.
- 127 Quibus reformatis suapte natura sequetur morum et uitae reformatio.
- 128 Sola doctrina et uerbum Christi uiuificat, renouat, et purificat cor nostrum.
- 129 Quo renouato, renouatur uita et sequuntur mores sancti.
- 130 Sine tali renouatione, arbor est mala et fert malos fructus, etiam si adsint miracula et sanctimonia.
- 131 Propterea uanissimum est, simul et stultissimum, sine Christi uerbo iactare sanctimoniã et miracula.
- 132 Turca hodie habet miracula et sanctimoniam longe maiorem quam Christiani.
- 133 Nec melius plebs et populus decipi possunt quam per sanctimoniã et miracula ut Christus inquit.
- 134 Sanctimonia enim imposuerunt monachi uniuerso orbi. Et hac

- 135 Et Hac Anabaptistæ & Sacramentarij, iam impo-
nunt Germaniæ.
- 136 Nō quod uerā habeāt, sed fictā, de qua gloriātur
- 137 Neq; uere Christiani esse possunt Sacramenta-
rij, quia suam doctrinam publice non confitentur.
- 381 Sed recte docere cum Luthero se fingunt, cum ni-
hil minus faciant.
- 139 Quia per fractionem panis & commestionem di-
uidi corpus Christi, naturale non credunt.
- 140 Neq; credunt malos manducare corpus Chisti,
ideo impiissime docent.
- 141 Hinc liquet, quod ipsi de mandatione spirituali
loquuntur, quando dicunt, uere manducatur cor-
pus Christi.
- 142 Nos uero dicimus in manducatione corporali (de
qua & Christus in coena loquitur) uere mandu-
cari corpus Christi, naturale.
- 143 Hæc uerba Christi, Accipite & manducate, non
nel unum uerbū dicūt de spiritali māducatione.
- 144 Licet eam presuponant & fidem requirant.
- 145 Caput Ioannis sextum loquitur de spiritali man-
ducacione, nihil de corporali.
- 146 Ideo producentes hoc caput Ionnis ad cœnam Do-
mini, insulsissime, simul ac indoctissime faciunt,
perditissimi nebulones.
- 147 Nam per uerborum ampullas seducunt miseram
Germaniam.

Nihil

- 148 Nihil in ore habentes, quam spiritum, spiritum.
- 149 Dicebant nuper, me audiente, Lutherus est doctor literæ, nos sumus doctores spiritus.
- 150 Nec mentiuntur, sunt enim doctores spiritus, imo potentissimi spiritus.
- 151 Sed illius qui est princeps mundi & rector tenebrarum.
- 152 Nec male, hæc dicit Paulus, quia auferunt nobis lucem mundi, hoc est clara uerba Christi in coena, Hoc est corpus meum.
- 153 Et obtrudunt nobis suas glosas, similitudines & consequentias, quæ sunt tenebræ palpabiles & densissime.
- 145 Nam secundum rationem naturalem, non secundum fidem & uerbum Dei hæc & illorum signa tropicè formantur.

19 1778. 44


B 12
M. C.



3

ULB Halle
003 563 022





QK. 197,35.



HAS PRO
POSITIONES DEFENDET
NICOLAUS AMSDOR.
FIVS MAGDEBUR.
*ge quando uoluerint
aduersarij.*

